

gno Israel id muneris præstandum Prophetis commissum fuisse. Præter eos Annales à Prophetis digestos, alii etiam suppetebant Commentarii Sacerdotum sive Scribarum aulae Regum Juda & Israel. Hos viros appellabant à Secretis sive *Mascherim*, ac si diceretur à *libellis*, quorum potissimum munus erat, ut singulorum dierum eventus, qui majoris ad Republicam momenti censerentur, in Tabulas referrent. Memoratur sub Davide & Salomone [k] Josaphat filius Ahilud à *commentariis*; idemque munus sub Ezechia præstitisse Joabe filium Afaph (l), sub Josia Joha filium Joachaz (m) legimus.

k 2. Reg. 8. 16. & 12. Par. 18. 15. & 3. Reg. 4. 13. l 4. Reg. 18. 18. m 2. Par. 34. 8.

Quamquam Regni Salomonici historiam fusiori filo Prophetæ Nathan, Gad, Ado, & Ahias digesserunt, eam tamen in publicas etiam tabulas relatam fuisse scimus, quas tabulas designari credimus illo 3. Reg. 11. 41. In Libro verborum dierum Salomonis. Idem servatum scimus in historia Josaphat, quam licet Jehu filius Hanani literis consignaverit, laudantur tamen, tanquam gesta sub eo Rege continentes, Annales Regum Juda (n). Tandem quo loco 2. Par. 32. 32. scriptam legimus ab Isaia Ezechia Regis historiam, ibi pariter eadem historia ex Annalibus Regum Juda laudatur. Historia rerum Manassis & in Annalibus Regum Juda, & in Commentario Prophetæ Hozai scripta insinuatur 2. Par. 33. 18. 19. Ibi etiam Author laudat orationem ejusdem Principis, dum arcto in carcere detineretur, que nostrâ etate intercidit; cum altera in nostris Bibliis inserta apocryphi notâ rejicienda sit. En igitur duo Commentariorum genera, quæ Authori Paralipomenon suppetebant; alia nempe à Prophetis, alia à publicis Scribis adornata, quorum opera scripti erant memorati sæpè in Scriptura Annales Regnum Juda & Israel. Facile autem credimus Regni Israelis Annales post captivitatem decem Tribuum in Regnum Juda translatos servari, quò scilicet plures è Regno Israelis transfugæ sese receperant.

n 3. Reg. 22. 46.

Suppetebant etiam Authori Paralipomenon census variis temporibus in populo instituti; sicut etiam scripta, quæ sub nomine verborum veterum (o), nempe veterum traditionum, laudat. Quatuor ex his census refert, nempe sub Davide [p], sub Jeroboamo (q), sub Joathan (r), & in captivitate decem Tribuum (s). Innuit etiam censum jussu Davidis operâ Joabi institutum, sed intercedente Domini furore intermissum. Præter hæc, ad manus erant tabulæ genealogicæ Tribuum, & clarissimarum familiarum, quarum posteros describit.

o 1. Par. 7. 2. p 1. Par. 5. 17. q Ibidem. r 1. Par. 9. 1. s 1. Par. 27. 24.

Probè ex his intelligimus, quanto studio olim Judæi vetera historiarum suarum monumenta servarent, quam Patrum suorum curam meritò effert Josephus, ut scilicet veritatem & sinceritatem historiarum gentis suæ contra adversarios Judaici nominis assereret. Maximum, ait ille, argumentum historiarum Judaicorum veritatem demonstrans, illud est, nimirum inter va-

rios illorum Scriptores non varium de ipsis rebus testimonium; neque enim Græcis aliena scribentibus eadem adhibenda est fides, quæ suas historias referentibus debetur, quod per se certum, ad evidentiam pariter demonstrat eorum inter se dissensus, dum alienas historias referendas suscipiunt. Aegyptiis & Babylonis peculiare erant regionis suæ historiarum, fidei & vetustatis exploratissimæ, operâ Sacerdotum, & Philosophorum ejusdem gentis digestæ. Quod verò, addit ille, historiam nostram super cæteras omnes commendat, illud est, nimirum scribendis rerum nostrarum commentariis additos esse viros amplissimos, Sacerdotes, & Prophetas, quorum studia, & in scribendo fidem ipse scribendi stilus, narratio accurata, tum & inter varios Scriptores consensus satis demonstrant. Quæ omnia tantam iidem scriptis apud gentem nostram venerationem conciliant, ut tamquam divina suspiciant, & addere illis aliquid sive detrudere ducant religiosum. Porro paucos illos, quos ejus generis habemus, Libros tantâ veneratione, & religione servamus, ut alienum aliquid in Textum irrepsisse vix ac ne vix quidem possit.

Laudat etiam ibidem summam Sacerdotum curam in servandis sine adulterinâ admixtione gentis suæ integras inviolatasque genealogias; quod non ita Sacerdotibus Hebræis in Judæa tantum peculiare erat; sed ea demum cura illos sive in Aegypto; sive Babylone constitutos sequebatur. Scrutabantur enim Jerusalem genealogias mulierum, si quando cum aliquibus connubia miscere meditarentur; & si forte sinistri aliquid Judæis quò dispergi illos accidisset, summa tunc Sacerdotibus cura erat, ut veteres tabulas innovarent, & si quis contra Legis præscriptum alienigenas foeminas duxisset convinceretur, ille continuo è ministerio Altaris & jure Sacerdotii excidebat. Suffragatur huic Josephi authoritati Liber Esdræ, in quo post solutam captivitatem amotos à Sacerdotio legimus tam eos, qui genealogias suas fide publicarum tabularum non probassent (t), quàm qui connubia cum alienigenis foeminis miscuissent (u). Iis tantum vetera jura Sacerdotum, & Levitarum manebant, qui scripti erant in Libro verborum dierum (x). Ex 1. Macch. 16. 23. 24. testimonio intelligimus pariter, res gestas Summorum Pontificum publicæ memoriæ mandari consuevisse, juxta illud: Scripta sunt in Libro dierum Sacerdotii ejus; quod tamen cum illis factum cenfeo, qui utrumque Principatum & Sacerdotii & Republicæ tenerent. Ex hisce postremis Commentariis Josephus gentis suæ post Macchabæos historiam deduxit.

Quod spectat ad Commentarios de rebus sub singulis Regibus gestis, mos erat utilis aded, & commendabilis, ut non apud solos Israelitas obtineret; paria enim servabantur apud Chaldaeos, Assyrios, Phœnices, Aegyptios, Græcos, & Romanos. Perfarum sub Cyro, & Dario Annales laudantur 1. Esdr. 4. 15. & 6. 1.

t 1. Esdr. 2. 61. 62. u 2. Esdr. 13. 28. 29. x 2. Esdr. 12. 22. 23.

y Lib. 1. cont. Appion. ubi Manethon citat.

z Joseph. Ibid.

& 6. 1. 2. sicut etiam eadem consuetudo sub Assuero legitur Esther 10. 2. Commentarios rerum Alexandri Magni Plutarchus in ejus vita laudat; Aegyptiorum Herodotus lib. 2. cap. 2. & Diodorus lib. 2. quem admodum fragmenta quædam historicorum ejusdem gentis Josephus (y) servavit. Tradit autem ille de Manethone agens, omnia ejusdem viri è Libris sacris Aegyptiorum deducta fuisse. Sacerdos quidam Aegyptius in Timæo Platonis morem in gente suâ obtinuisse testatur, ut res majoris momenti tam in Aegypto, quàm alibi ubicumque contingentes in Annales referrent. Berofus literis mandavit historiam Chaldaeorum, sicut & Syrorum; Nicolaus Damascenus, & Dio, Phœnicum. Unde verò illis rerum gestarum monumenta, nisi ex Annalibus, ac tabulis earum gentium? Menander Ephesus uno fusiori Commentario complexus erat historiam omnium, quæ Græciæ, quæ cæterarum gentium Regum, consultis singularum regionum monumentis. Frequentes in nostris Bibliothecis (z) occurrunt Græcorum historia. De Romanis ait Tacitus Annal. 13. Ex dignitate Populi Romani repetitum est, res illustres Annalibus, talia (vulgaria) diurnis Urbis actis mandare.

Interpretes leviori brachio res Paralipomenon attigerunt, ea falsâ persuasione ducti, parùm ibi in Libris Regum intactum referri. Fateamur tamen oportet, juxta S. Hieronymi testimonium in Ep. ad Domnionem: Omnem eruditionem Scripturarum in hoc Libro contineri; & ut addit ille Ep. ad Paulin. sive in Prolog. Galeat. Paralipomenon Liber. i. e. Instrumenti veteris epitome, tantus ac talis est, ut absque illo si quis scientiam Scripturarum sibi voluerit arrogare, se ipsum irrideat. Tandem verissimè S. Doctor adjecit, in eo Libro innumerabiles Evangelii explicantes questiones. His igitur rationibus induci, solenter & pro viribus Librum exponendum suscepimus, iis tamen omissis, quæ antea in Libris Regum in examèn revocavimus. Primus Liber historiarum Sanctæ per generationes deductæ ab ortu Mundi adusque Davidis obitum A. M. 2990. summam complectitur. Alter historiam describit Regum Juda, & partim etiam Regni Israel ab exordio Salomonis sine socio regnantis A. 2990. usque ad solutam captivitatem A. 3468.

Varianta quædam in nominibus, locisque designandis inter Libros Regum & Paralipomenon resultant; sicut etiam numerus quandoque annorum, census,

& nomina virorum discrepant, unde contra Librorum Sacrorum auctoritatem Sacrarum Scripturarum adversarii deducunt, quorum cavilli, si tandem evicerint, ut auctoritas Librorum in dubium revocetur, quæ tandem erit satis explorata, & ab omni suspitione immunis historia? Nihil enim magis spectatæ antiquitatis, & fidei in historia uspiam occurrit, quàm quæ de expeditionibus Alexandri Magni posteritati commissa est; quot enim viri amplissimi sapientiâ, fide, & diligentia insignes coeva scribentes, strenui illius Ducis decora scribere non susceperunt? eos tamen vel in censu copiarum ipsius, in subjectarum Urbium dinumeratione, sicut & in occisorum hostium summâ, atque devictarum gentium & Urbium hominibus nunquam convenisse constat. Quis autem historiam ejus Principis suspitionis arguere, vel in dubium revocare audeat?

Quamquam alia planè est historia sacre auctoritas. Sancti Spiritus ductu, eodemque suggerente, Divini Scriptores Opus dictabant, nec tamen eodem Spiritu prohibebantur, quin & varia simul monumenta confulerent, atque historias scriptis mandandas ex illis veluti fontibus ita derivarent, ut singulorum veluti sententias describerent. Nec tamen varia ab illis in eodem Opere relata testimonia nisi in specie tantum repugnant; multiplex enim singulari conciliandi ratio suppetit. Adde, audacis esse nunquam ferendæ, si quis de rebus longâ etate remotis, exploratæ alioqui auctoritatis, judicium ferre ex arduis nonnullis occurrentibus præsumperit. An fortè supra fidem est, Libros tam longâ traditione atque sæculorum successione ad nos transmisos, corruptionis aliquid in adscriptionibus temporum & numerorum notulis contraxisse? Cum de Sacris Scripturis, rebusque ad religionem pertinentibus agitur, nihil illi indulgendum arbitrantur, cum interim reliquis omnibus parcant. Levissima quæque pro licentiâ adstruenda argumenta, & quidquid tandem fuerit quo religioni invidia creetur, illud tanquam maximi momenti imbecilles illas mentes terret; cum alioqui nullo solidissimo pro religione adducto argumento moveantur. Libros & historias facillè omnes suscipiunt; cum verò de Sacris Libris recipiendis agitur, res est argumentorum validissimum armis evincenda; semper enim imponi sibi aliquid suspicantur.